DE VIRTVTE LOCI NATALIS IN VEGETABILIA

PRAESIDE

GEORG. RVDOLPH. BOEHMERO
PHIL. ET MED. D. ANAT. ET BOTAN. PROF. P. O.
H. T. ACADEMIAE RECTORE

PRO SVMMIS
IN ARTE MEDICA HONORIBVS
IMPETRANDIS
A. D. NOVEMBR. MDCCLXI.

DISVTABIT

GOTTLOB FRIDERICVS DOERINGIVS
REICHENBACH. VARISCVS
MEDICINAE CANDIDATVS



VITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



§. I.



Locum natalem patriamque pro diuersa coeli, aeris, terrae et aquae constitutione insigniter variare, et climata multis modis inter se differre, a) non modo vno confitemur ore; sed et hanc varietatem aeque respectu prouinciarum et integrarum regionum, quam minorum tractuum, huius alteriusue loci, vrbis, syluae, et s. p. dari, vt concedamus necesse est. Datur praeterea etiam naturalis quaedam sympathia inter locum et locatum, siue ea, quae vel sponte, vt naturalia, in loco quodam crescunt habitantque; vel vt artificialia ab hominibus perficiuntur. Et prout non omnia possumus

a) Conf. doctissima tractatio, quam de differentia climatum, eorumque caussis exhibuit PIETER WARGENTIN in den Königl. Schwed. Acad. Abhandlungen 19. Band p. 159. et 239.

omnes, ſic etiam non omnis fert omnia tellus; ſed cuilibet loco ſua ſunt propria. Homines et quoad mores et ingenium, [b] et quoad ſanitatem morbosque [c] ratione

---

b) Quae res tanta viſa fuit Academiae Cantabrigienſi, vt an. 1758. illam quaeſtionem, praemio promiſſo, propoſuerit: *vtrum diuerſarum gentium mores et inſtituta, a diuerſo earum ſitu explicari poſſent?* Homines ex regionibus, quas inhabitarunt a teneris, timidiores, audaciores, petulantioresque fieri, experientia ſcimus. Pulchre etiam idem docuit GER. NIC. HEERKENS, dum ſcribit:

> *Quo tibi cum populo, qua viuere contigit ora,*
> *Saepe memor reputes, quisue medentis eget.*
> *Italus vt ſicco fere eſt corpore, ſole peruſtus,*
> *Sic alios mores Italus aeger habet.*
> *Toruus Iber vultu, torua quoque mente ſuperbit*
> *Trux ideoque, granis, lenia poſcat, erit.*
> *Gallus amabilior, vel ſi dolet, ore ſereno,*
> *Te magis, vt recrees, quam medeare vocet.* cet.

Vid. egregium Eius Poema de officio medici. Groening. 1752. 8. edit. p. 24.

c) Plura hac de re excitare poſſemus teſtimonia. Ita morbus in noſtra aliisque regionibus rariſſimus, ferox nimirum mandibulae inferioris infantum, recens natorum, conuulſio in Minorca frequens eſſe ſolet. Vid. GEORG. CLEGHORN Obſeruations on the epidemical diſeaſes in Minorca London. 1751. 8. p. 73. Ita Noſtalgia, non nullis populis propria, qua, vt OVIDIVS Triſt. III. Eleg. 3. v. 7. iam cecinit:

> *Nec coelum patimur, nec aquis adſueſuimus iſtis,*
> *Terraque, neſcio quo, non placet ipſa, modo*

idem clare probat. Verum nolumus hic multa adducere, vnicum modo excitemus ROBERTVM WELSTEDIVM, qui libro

de

tione loci natalis differre, immo animalia bruta d) singulari modo inde affici et mutari, luculentissimis comprobari posset testimoniis. Mineralia etiam pro diuersitate locorum, et ratione propriae mixtionis, et ratione admixtorum multum discrepant, immo et suum

de Aetate vergente Londini 1724. 8. edit. p. 7. scribit. *Non inficiandum, commodam vel incommodam hominum valetudinem a regionibus plurimum dependere, non solum vbi nascuntur, verum etiam vbi a teneris annis educti fuerunt, ideoque plures videmus, quorum valetudo secunda gradatim confirmatur hac vel illa peregrina regione, qui dum in patria commorarentur, imbecilliores fuerant. Plerosque sane adolescentes regiones frigidae magis iuuant, et perpauci sunt, quos ardentia sub sole climata non eneruant, aut celerius, quam par est, maturant.*

d) Ita e. gr. Viperas vbique terrarum non aeque venenatas esse scimus, et ELIAS CAMERARIVS Differt. Taurinens. Tubing. 1712. edit. p. 21. scribit, *se viperam, omnibus modis irritatam, coëgisse repetita vice ad mordendum canem, etiam adactis in ventrem eius dentibus, nullo inde malo cani eueniente.* Analogum quid BAGLIVIVS aliique in Tarantulis notarunt, magna inter Apuliam, Neapolin, Romamque obseruata differentia, nec tam funesto in his vltimis locis obseruato euentu. Italicos Scorpiones pro innoxiis habuit REDI, magis tamen iis in Apulia periculosis, in Africa vero summe venenatis. Oues Kalmukienses s. laticaudas dictas, Siberiae incolis educare non contingit, potius propter coeli clima aut pereunt, aut degenerant, minores etiam statura factae sunt, licet cum ouibus Russicis nullam habuerint communionem. Vid. GMELINI Reise durch Siberien 3. Theil, p. 378. Et cui incognitum, Oues in Anglia habitantes, Boves Polonicos et s. p. nostratibus esse meliores. Conf. Betrachtungen über den Einfluß des Clima in die Thiere, in den Physical. Belustigungen 30. Stück, p. 1506.

proprium agnoſcunt natale ſolum. e) In rebus artificialibus virtutem climatis, et ſpecialis loci efficaciam, vel ſola, pro diuerſitate locorum, cereuiſiae ingens docet varietas. Et cum hae, omni licet adhibita opera, adminiculis, ſumptibusque imitari et cogi non poſſint; vt patriam ſuam vrbem f) derelinquant, omnino aliquid, vel in aqua, vel in aere, aliisque rebus, cuilibet loco propriis, incogniti et diuini quaſi latitare, maxima probabilitate aſſumimus.

II.

In vegetabilibus vero omnium euidentiſſime loci natalis efficaciam cognoſcimus. Namque ſi eorundem ingentem numerum, per vniuerſum terrarum orbem diſperſum, intuemur, non ſine admiratione cuilibet fere, vel certe plurimis, propriam regionem patriamque a natura adſignatam fuiſſe, pauciſſimas autem vbique locorum quaſi vagari, cernimus. Ita ex India, nec aliunde,

e) Foſſilibus ſua loca propria adſignata eſſe, Mercurius, Cobaltum, et in primis Aurum illud album ſ. ſextum metallum, Platina del Pinto appellatum, in America, quae Hiſpanis paret, detectum, facile comprobant. Et quae variis in locis creſcunt, non eandem ſemper, ſed pro varietate locorum diuerſam indolem et bonitatem obtinent, id quod de Sale Nitri dudum POTERIVS Pharmacop ſpagyr. L. 2. c. 7. aſſeruit.

f) De hac re verſiculos legimus in SIM. PAVLI Quadripart. Botan. p. 379.

Lipſia dat Raſtrum, Cucuk Witeberga celebris,
Hala Puf, et Keutam Weſtphala terra coquit.

Conferri meretur hic I. F. RAVENSTEIN Sammlung ſeltener Begebenheiten in der Natur, Zweybrück, 1755. 8. p. 464. ſeqq.

unde, accipimus, et ibidem crefcunt, Santalum, Piper, Curcuma, Zedoaria, Zingiber, Cardamomum. Ita Moluccae infulae folae dant Caryophyllum, China et Iaponia Theam, Loxa Peruuiae Quinquinam, Iaponia Camphoram, Carolina Cafcarillam, et Ceylona Cinnamomum. Paffiflorae fpecies omnes, nulla excepta, Martyniae, Durantae, Besleriae omnes Americam pro patria agnofcunt. Aethiopiae ciues funt, Eranthemum, Brabeium, Kiggelaria, Anthofpermum, Penaeae, Philycae, Gnidiae, Bruniae, Selagines, Hermanniae, Melianthi, Borboniae, Cliffortiae etc. Virginiae autem incolae Benzoin, Saffafras, Itea, Meadia, Hamamelis, Houftoniae, Napaeae et f. p. Ad Caput bonae fpei crefcunt Royenae, Stapeliae, Proteae, pleraeque Ficoides. In Sibiria GMELINVS legit Amethyftinam, Lupinaftrum, Catariam fl. inuerfo, Ballotam lanatam, Phlomidem tuberofam, et centum alias. Calligonum in monte Ararat, Dictamnus Creticus in monte Ida, aliaque fpecies in monte Sipylo habitat. g) Hinc et eft, quod Floriftae et Itinerarii his quoque temporibus tantam hactenus incognitarum plantarum copiam commemorent, et nouis diuitiis, huic vel illi regioni propriis, rem herbariam, nouisque et praeftantiffimis medicamentis medicam fupellectilem adaugeant. In cuius rei fidem vel folum BROWNE et IACQVIN excitamus, quorum prior ex Iamaica, pofterior vero Charibaeis infulis nouos thefauros nobis exhibuerunt. Non folum vero regionibus

g) Exempla plantarum, in propriis locis crefcentium, alia vid. in PORTAE Phytognomon: L. II. c. 1. p. 42. Conf. et THEOPHRASTVS de Cauf. Plant. L. IV. c. I. edit. Stap. p. 283. vbi docet, quibus locis quaeque arbores gaudeant.

nibus certis proprias adſignauit natura plantas, ſed cuilibet etiam plantae ſuum ſpecialem dedit locum. Viuunt in murorum compage aliae, aliae ſub aquis naſcuntur, et ſub montium altiſſimorum niuibus aliae perſiſtunt incolumes. Habitant in paludibus, lacubus, fluminibus, maris littoribus, montibus, campis, pratis, aruis, ſyluis, alibique plantae aliae. Haecque ſua domicilia conſtanter retinent plurimae, ſuosque natales locos vix deſerunt, vt licet variis in regionibus eaſdem inueniamus, tamen vix nemoroſam plantam aruenſem, hancque paludoſam fieri, vel alpinam in plana deſcendere, obſeruemus, potius plerarum ſtirpium in locos natales ſingularem amorem euidenter cognoſcamus. Docuit idem iamiam VIRGILIVS, [b] ſcripſitque:

Nec vero terrae ferre omnes omnia poſſunt,
Fluminibus Salices, craſſiſque paludibus Alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus Orni,
Bacchus amat colles, aquilonem et frigora Taxi. et ſ. p.

et millenis exemplis idem comprobari poſſet. In paludoſis creſcit Scordium, Parnaſſia, Comarum, Hydrocotyle, in vmbroſis antiquis ſyluis Squamaria, Nidus auis, Linnaea, in rupibus et muris Cymbalaria, Valantia, in arenoſis Centunculus, Camphoroſma Monſpeliaca, Scleranthus, omnemque terram reſpuit, ſolamque arenam amat Arundo dicta arenaria. In alpibus habitat Dentaria pentaphyllos, Larix, Rhodiola, Soldanella, Gentiana lutea, et pleraeque aliae. Aſt vera licet haec ſint omnia, et prout piſces marini non niſi in aqua ſalina viuere poſſunt, et ſi nonnunquam dulcia flumina

---

b) Georgicor. Libr. II. conf. et Libr. I.

flumina transmigrant, non diu in ipſis ſubſiſtant, ſed iterum in aquas regrediantur ſalſas; ita et plantae in vna eademque terra habitent, non nullae tamen vbiuis fere locorum proueniunt, et certam patriam ſedemque fixam nullam agnoſunt ſic [i])

Triſtia per vacuos errant Abſinthia campos

et quae ex Aleppo venit Borrago officinalis, Americana planta Stramonium, Erigeron Canadenſe, in Europa et Germania nunc vbique ſponte creſcunt et laete proueniunt. [k]) Pertinent etiam huc illae plantae, quae licet cognitae ſint dudum, et cultura quaſi inquilinae factae, tamen ignoremus vnde ad nos translatae fuerint, et qui ſit earum natalis locus. Hyſſopi offic. Maioranae offic. Cucumeris, Alceae roſeae, Raphani ſatiui, Naſturtii hortenſis patriam detegere haudquaquam potuerunt Botanici.

§. III.

Propriam plantarum patriam ſcire, maximi momenti res eſt, a Botanico aeque ac Medico bene aeſtimanda. Exinde enim illarum in hortis, et ita alieno loco, inſtituendam culturam, et ab hac translatione exortam

---

i) OVIDIVS III. Epiſt. I. v. 23.

k) Licet non nunquam varias regiones pro patria agnoſcant plantae, vnum tamen alterumque locum plane recuſant. Laurus offic. calidarum regionum incola, in Graecia, Creta, Hiſpania habitat, immo in Corſica ſata nunc prouenit; licet PLINIO teſte L. 15. nulla olim huius arboris varietas natale ſuum ſolum in eadem inſula habuerit, attamen in Ponto nulla datur Laurus, quanquam omni ſolertia eam olim ad vſus religioſos ſerere conati fuerint incolae. Vid. THEOHRASTVS l. c. L. 4. c. 6. p. 368. IONSTONI Dendrolog. p. 227.

ortam nouam saepe variantemque faciem Botanicus, Medicus vero virtutes et ipsis proprias, a natali solo dependentes, et eodem mutato discrepantes, inuenire et cognoscere poterit. Dum itaque raras, nitidasque, quae vel procul a nobis in exteris orbis partibus habitare solent, vel etiam spontaneae, nobis propiores et inquilinae sunt, in nostris terris hortisque spectare et conseruare cupimus, prima erit cura, scire, vndenam allata sit planta, an sub torridiori, temperatiori, borealique climate vixerit, an solis radios, liberioremque aerem, an umbrosa loca, an siccam vel humidam, pinguem vel arenosam terram amet, quo cuilibet conuenientem et natalem quasi extra patriam locum concedamus, exstructisque in primis, miroque modo adaptatis aedibus climata ipsa transferre, et quibus Africa superbit, quae Asia et nouus orbis miracula profert, in eiusmodi viridariis conseruare et colere queamus. Intelligimus hac ex re etiam, cur nonnunquam plantae in hortis nostris langueant, moriantur, omnemque nostrum laborem eludant. Plurimae namque siluestres respuunt foecundum solum, pinguia terrae pabula non concipiunt, et cum eius modi terra vix arte praeparari possit, qualem ipsis natura dedit, ab omni cultura abhorrent, vt ex indigenis sunt: Empetrum, Erica, Rapunculus, Myrtillus, Squamaria cet. Hinc Hercynicas plantas aegrius cum solo humili consueuisse, et Heluetica semina vix vlla in horto vegetasse Ill. ALB. HALLERVS, [l] Rutamque syluestrem, ex collibus

---

[l]) In praefatione, Enumerat: stirpium Horti Goetting. 1743. 8. praemissa.

libus alpibusque in hortum translatam, periisse semper, modo montosis ac sterilibus locis adsuetam esse, Cel. XAVER. MANETTI m) obseruarunt. Adeo a teneris assuescere multum est. Itaque cum sine climatum globi terraquei cognitione physica cultura plantarum instituí nequeat, ille apud Botanicos inualuit mos, vt plantarum exoticarum indigenarumque patriam, n) locumque natalem o) sollicite adnotent, et ita tacite quasi culturam earundem nos doceant, ne ex defectu cognitionis, experiundo, ast maximo saepe cum damno, conuenientem locum terramque inuenire debeamus. Non solum vero hac ex causa Botanici locum natalem commemorant, sed et ideo, quo specierum aliquam differentiam exhibeant, et licet secundum recentiorum dogmata, neque specierum definitionem,

m) In Viridar: Florentin: Florent. 1751. 8. edit. p. 77.

n) Reiicienda esse peculiaria nomina prouinciarum et locorum, in quibus primum inuentae fuerunt plantae, existimat MANETTI l. c. in prooemio p. XI. cum eaedem in aliis regionibus quandoque nascantur, et ipse Cel. Vir asiaticas, hispanicas, lusitanicas, danicas cet. appellatas sponte in Etrusco solo virescere, obseruauerit. Attamen non modo illarum, quae vnico loco habitant, sed et quae in diuersissimis regionibus crescunt, patriam scire, vtilissimum est, et in cultura earundem optime nos instruit.

o) Immo plura adhuc desiderat I. D. DENSO, monetque, necessarium esse, vt in libris, de horti cultura conscriptis, plantae patria strictissimo notetur sensu. Scil. quoad varias terrae stratorum mixtiones, quoad aeris temperiem, et quoad aquarum variam, ab admixtis peregrinis dependentem, indolem. Vid. Physical. Biblioth. 1. Band, 4. Stück, p. 377.

nem, neque nomina ſpecifica ingredi debeat patria, tamen compendii gratia, laudabili conſilio, compoſuit inde Triuialia nomina LINNAEVS, et optime Lepidium Bonarienſe, Lotum Iacobaeum, Oleam Capenſem, vel Thlaſpi ſaxatile, Aſtragalum arenarium, Equiſetum ſyluaticum, aruenſe, et paluſtre nominauit.

§. IV.

In primis autem Botanicus loca plantarum natalia ſcire debet, quo iiſdem, vel fortuito caſu, vel ex induſtria, in alium locum tranſportatis, earundem mutationem et metamorphoſin cognoſcere et iudicare valeat, quid proprium ſit, quid vero acquiſitum, et quid pro differentia loci varium, nouis quaſi plantis, varietatibus ſcilicet, procreandis anſam dederit. Tanta enim eſt loci natalis vis et efficacia, vt ſi etiam planta ex aliis delata oris, frequentiore cultura, noſtro coelo et ſolo accommodari et ciuitate donari poſſit, illud tamen ſemper fere cum inſigni mutatione p) ipſius coniunctum

p) Id quod iam THEOPHRASTVS cognouit, ſcripſitque: *diſcrimen ad foecunditatem, ſt rilitatemque ſummum vel locorum natura facere poteſt.* Vid. Lib. IV. c. I. p. 284. Et ex vario alimento, aeriſque temperamento, variaque translatione qualitates diuerſas externas nouasque recipere, bene monuit ALOYS. MVNDELLA in Annotat. ad Muſam Braſauolam de Simpl. edit. cum Eiusdem Epiſtol. Baſil. 1543. 4. p. 186. Multa etiam exempla plantarum, quae pro diuerſo natali loco externa facie mutationem ſubiere, commemorauit BARTH. MARANTA Method. cognoſcendorum ſimplicium Venet. 1559. 4. L. II. p. 105. et 119.

iunctum esse, obseruemus. Quae ex aliis, calidis in primis, regionibus ad nos adportantur plantae, omnis licet cura adhibeatur, vel in alieno agro hospitari plane nequeunt, vel raro ad eum perfectionis statum perueniunt, quem in patrio solo ostendere solent, potius de his cum VIRGILIO q) dicere debemus:

Vidi lecta diu, et multo spectata labore
Degenerare tamen.

Et ex seminibus multis pauca germinare, pauciora perfectos flores, et paucissima maturum exhibere semen, omnibus exoticorum constat cultoribus, vt ad exempla prouocare haudquaquam necessarium existimus. Potius eiusmodi nunc commemoremus plantas, quae propter loci natalis mutationem, in externa facie sua ludunt, et cum eis copiosa materia suggeritur, vel luxuriant, vel cum alimentum eis deficit, in aliqua parte deficiant. Arborea planta, Africae et vtriusque Indiae incola, per plures annos et radice, et trunco durans, in nostris hortis fit annua, succulenta, herbacea, quae intra quinque vel sex menses et ex semine enascitur, et floret, et fructificat, Ricinus est. Musa vero in patrio solo diffusis vndique radicibus tantum colligit digeritque nutrimentum, vt primo anno ex radice caudicem emittat florentem fructiferumque; in nostris vero regionibus in hybernaculis coercita, et quasi incarcerata, omnis licet adhibeatur cultura, tertio demum vel quarto anno floret et moritur. r) Brassica, chinensis dicta, et nostra in China culta, non capitata crescit, nec ea, quae Archangelo-

 poli

q) Georgicor. L. I. v. 97.

r) Conf. IO. GOTTL. GLEDITSCHIVS in Consider. Epicriseos Siegesbeck: Berol. 1740. p. 26.

poli colitur, capitata fit, ſed germina tantum protrudit, plantamque teneram exhibet; huius vero ſemina in calidioribus Europae regionibus ſata, Braſſicam capitatam producunt, vt retulit Cel. GMELINVS. s) Plantae boreales, ſub duriori climate viuentes, plurimae, quo tempeſtatis iniurias facilius ferant, variis tomentoſis amictibus munitae, in hortis noſtris vel ſuum velamentum totum ſaepe deponunt, vel manſuetiores redditae, laxiorem lanuginem obtinent. t) Simili modo maritimae dictae plantae plurimae viridem ſuarum partium ſuperficiem, tomento albido obuolutam tectamque oſtendunt, idque tunc etiam ſatis diu retinent, cum remotiſſimae a mare, in alieno prorſus loco, aſſeruantur coluntur que, vt de Iacea, Medicagine aliisque ſcimus. Nonnunquam tamen degenerant; illa iacobaeae, ex maritimis degener, falſo vt ſpecies propoſita, planta et in his variantis naturae luſum fieri, clare demonſtrat. Statura quoque differunt. Ex gigantibus pygmaei fiunt. In ſteriliori ſolo habitantes puſillae minimaeque plantae in pinguiori ſolo excreſcunt, omnique parte auctae exſurgunt; cauendumque hinc ſedulo, ne eius modi plantas cum C. BAVHINO, TOVRNEFORTIO, aliisque pro ſpeciebus adducamus, quae modo magnitudine diffe-

s) Vid. Eiusd. Reiſe durch Siberien 3. Theil, p. 63. Semina vero, Braſſicae chinenſis nomine, nobis tradita, et in horto Academico ſata, ſimplicem caulem floresque primo anno tulerunt, et ita a capitata diuerſam plantam exhibuerunt.

t) Conf. A. W. PLAZII Progr. de natura plantas muniente Lipſ. 1761. edit. p. 13. Cytiſus, auctore MARANTA l. c. L. II. p. 120. totus candidus, dum in ſuo natali loco permanet, transplantatus vero virentem colorem induit.

differunt, [u] et pro diuerſo natali loco ludunt. Plantago, Serpillum, Chenopodium, Atriplex, [x] et centum aliae plantae aſſertum noſtrum probant, et Salicis [y] ſpecies ex ſolo paluſtri, arenoſo, montano, calido et ſ. p. mirum mutatae, euidentiſſime illud euincunt. Aſtragali contorduplicati magnitudo, auctore Ill. LINNAEO, [z] ex ſolo mire variat, et Gramina pro diuerſo, in quibus habitant loco, varias mutationes ſubeunt, quas ſingulari ſtudio obſeruauit et annotauit IO. HOFERVS. [a] Non vero tantum folia, cau-

 lis

u) Non tamen ſemper magnitudo inconſtans eſt, ſed et eadem vera et perpetua exiſtit, vt de Calamintha montana magno flore ſcimus. Vincam etiam, maiorem dictam, vere differre a minori, illamque differentiam non, vt LINNAEVS ſuſpicatur Spec. T. I. p. 209. a loco ortam eſſe, credimus. Idem, vt videtur, de Pimpinella maiori, media et minori valebit.

x) HOBIVS VAN DER WORM bene ſcribit: *Magna in atriplicum genere varietas dulci pinguique ſolo, aut ſterili ſalſoque debetur, illud omnia laeta reddit, hoc vero triſtia, in ſterili ſalſoque ſolo caulis induratur, folia obfuſcantur, minora fiunt, et ſerraturas paullatim amittunt, vbi vero contra, contraria fiunt omnia.* Vid. Liber Eius de Atriplice ſalſo Amſtelod. 1661. 12.

y) Quod iam aſſeruit BODAEVS A STAPEL. Comment. in Theophraſt. L. III. c. 13. p. 212. et LINNAEVS in Spec. T. II. p. 1022.

z) Spec. T. II. p. 758.

a) Vid. Acta Heluet. Vol. II. p. 155. Terra e. gr. firma et ſicca culmi altitudinem minuit, folia ſetacea, et paniculam raram efficit, et florum numerum in ſpiculis multifloris auget. Terra humida limoſa foliorum latitudinem non parum, aqua

lis[b]) ramique copia, magnitudine et figura ludunt, sed et flores colore, florendique tempore variare, plurimis edocemur exemplis. Coloris caerulei et purpurei flores plerumque in Alpibus candidos fieri, exemplis docuit HALLERVS, [c]) et flores baccasque rubras in vmbra saturatiores esse, LINNAEVS [d]) asseruit; et prout Haemanthum, perianthio herbaceo, a DILLENIO delineatum, a soli solisque benignitate perianthium, rubicundo colore tinctum, obtinere, icon ab EHRETO picta, et ab Ill. TREWIO commentario illustrata docet; [e]) ita et Symphyti flores coloris, a loco natali mutati, egregium specimen sistunt; Lipsiae enim in vmbrosis subhumidisque pratis habitans, imo in hortis conseruata

---

aqua vero stagnans maxime auget, glumas crassiores facit, aristas minuit, solis defectus in syluis lanuginem plantae, spiculis strigositatem, floribusque saepius abortum producit.

b) Huc etiam pertinent illae, quae propter sterile solum saepe tam paruum obtinent caulem, vt is deficere videatur. Acaulos Cirsium et Carlina caulescentes fiunt. Quas in certa quadam sylua TH. BARTHOLINVS vidit arbores, quae omnes gibbosae miroque modo contortae erant, forte, vt ipse coniecturam addit, aut a coeli, aut a soli vitio sic enatae fuerant. Vid. Acta Hafniens. Vol. I. p. 56. Lychnis apetala, vt refert LINNAEVS Spec. T. I. p. 437. in Suecia caulem vniflorum, in Sibiria multiflorum tulit, et Craccae Virginianae caulis, qui in loco natali erectus est, in horto decumbit. LINNAEVS l. c. T. II. p. 752.

c) De Methodico studio Botanices Progr. Goett. 1736. p. 22.

d) Critica botanica p. 250.

e) Vid. Plantarum selectarum Dec. V. Tab. 44. et Hort. Elthamensis p. 167.

ſeruata planta, vbique et ſemper albidos flores monſtrat, Wittebergae vero rariſſime eo colore tinctos, ſed fere vbique rubicundos oſtendit. Immo ſtructura floris ex hac cauſa, licet rarius, quandoque tamen mutatur. Non commemoremus flores illos monſtroſos, plenos multiplicatosque, quippe omnes lautioris ſoli ſoboles, ſed alia et rariora notemus exempla. Azaleae f) corolla non conſtanter piloſa, potius et pro climatis indole glabra atque laeuis exiſtit, et Tuſſilago, Anandria dicta, in ſolo libero, occultatum clauſo calice florem gerit, in olla vero, calidiori loco repoſita, aperitur calix, flosque radiatus expanditur teſte Ill. LINNAEO, g) qui experimentum in horto Vpſalienſi inſtituit. Curioſum eſt, quod retulit HOFERVS h) de Theligono, cuius plantae figulinis vaſis contentae flores maſculos hexandros, eae vero, quae in terra, multo fimo condita, enatae erant, flores polyandros produxerunt. Tandem et tempus florendi fructusque ferendi pro diuerſis non modo regionibus variare, ideoque idem tempus nunquam ſine loco et gradu eleuationis i) indicandum eſſe, ſed et in vna eademque regione,

---

f) Vid. Commentar. de rebus in hiſtor. natural. et medicina geſtis Vol. V. p. 414.

g) Spec. T. II p. 865.

h) Vid. Acta Heluetica Vol. II. p. 16. qui etiam corpuſculum truncatum in Melica florem imperfectum eſſe, idemque phaenomenon in plerisque Tritici ſpeciebus cultis accidere, et a ſolo pingui fore dependere ibid. p. 139. aſſeruit.

i) Regulam hanc LINNAEVS dedit, in Fundamentis Botan. p. 32.

gione, modo pro loci natalis differentia, discrepare scimus; ita quae in planis e. g. Aprili et Maio existunt florentes fructiferaeque plantae, eae vere omnes, vt Violae florentes, Fraga maturescentia, Augusto mense et autumni initio in altissimis reperiantur montibus. k)

§. V.

Non solum autem Botanicus loci natalis virtutem in mutanda externa plantarum facie cognoscere, sed Medicus quoque internam earundem fabricam, mixtionem, odorem, saporem, viresque secundum natalem locum specifice differre, l) haud difficile inuenire poterit. Et veteres et recentiores auctores in eius modi variantibus qualitatibus eruendis determinandisque multum posuere industriam, regulasque generales quasdam confecere, vt pateat, quo modo pro diuerso natali solo medicata earum virtus aestimari debeat. Verum hac in re nihil certi, et in vniuersum veri determinandum, et quae in veterum libris m) annotata inue-

k) Conf. C. GESNERI Tabulae de collectione stirpium Tiguri 1587. edit. in Prooemio.

l) Bene hinc scripsit FRID. HOFFMANNVS. *Cum ingens terrarum sit differentia, recte concludere is videtur, qui a specifico et peculiari soli cuiusuis ingenio et indole ipsas herbarum vires deducere ac deriuare studet.* Vid. Eius Praefat. ad BVXBAVMII Enumerat. plantar. Halens. Halae 1721. editam.

m) Huc in primis pertinet PORTA in Phytognomonic. Lib. II. c. 10. p. 58. seq. vbi de aquaticis, palustribus, fluuiatilibus, maritimis,

inuenimus, minus certa, et saepe falsa deprehendimus, immo a recentioribus traditae regulae n) modo vt plurimum verae sunt, plurimasque exceptiones o) relinquunt.

---

ritimis, de iis quae in pingui, vel macro solo nascuntur et s. p. differit, et quaenam sint earum indoles et vires, pro more suo, explicat.

n) Ita secundum FERNELIVM Meth. medend. L. VI. c. 4. *regio calida et aestuosa omnia edit profertque acriora et vehementiora, hebetiora vero frigidior et humidior.* Ita Cel. HOFFMANNVS Praefat. cit. asserit: *quas terra foecunda pinguis, stercoratione bene exculta sponte profert, plantae anodynae, sedatiuae, immo narcoticae sunt,* et porro: *quae in locis humilioribus paludosis nascuntur, sale subtiliori virulento instructae sunt, quae vero in locis excelsioribus, vento et aperto coelo expositis, suos natales habent, prae reliquis valde salubres existunt.* Id quod et HIPPOCRATES in Epistola ad Crateuam asseruit, iussitque eundem, vt *montanas maxime et in altis collibus nascentes herbas radicitus resecet, ex eo, quod aquaticis sint solidiores, et acriores.* Consentit DIOSCORIDES in Praefat. item EBENSINA L. II. T. I. c. 6. edit. Venet. 1490. LINNAEVS Fundam. Botan. §. 387. sequentem dedit generalem regulam: *Plantae in siccis sapidiores, in humidiusculis insipidae magis, et in aquosis saepe corrosiuae sunt.* aliamque §. 342. *vmbellatas* scil. *in siccis aromaticas, in humidis venenatas esse,* et in Crit. Botan. p. 250. asseruit: *baccas plantarum in paludibus nascentes acidiores, in siccis dulciores esse;* et ex mente GLEDITSCHII in Dissert. de Method. Botan. fallaci virtutum in plantis indice Francof. 1742. edit. p. 19. *loca humida et paludosa vel insipidas aquosas, vel acredine volatili penetrantissima, vel caustica fixiore praestantes plantas proferunt.* HORATIVS Satyrar. L. II. Sat. V. v. 20. scripsit:

Pratensibus optima fungis
Natura est, aliis male creditur.

o) Hinc etiam insufficientes et incertas esse illas rationes indagan-

 di

quunt. Ideoque cum a priori, vt dicimus, virtutem plantarum, a loco natali dependentem, fiducia quadam deducere haud quaquam possimus, aliam eligamus viam, qua certissime conuincimur, plantas a natali loco virtutem accipere. Vegetabilia scilicet in alium locum transplantata, peregrinoque solo culta, ast loci genio non consentiente, diuersam accipiunt temperaturam, nouique agri sequuntur conditionem. p) Quae res et singularis virtutum mutatio partim ratione regionum, dum e. gr. ex calidis in frigidas transportantur, partim ratione specialis variique vnius regionis loci, et in medicatis, et venenatis plantis locum obtinuit. Possemus in huius asserti veritatem plurima adducere exempla, verum ne nimis ampla fiat recensio, nonnulla modo et luculentiora proponemus. An, vt animalia venenata, ita et plantae nociuae pro diuersitate regionum naturam suam mutent, et nunc innoxiae, nunc magis nociuae euadant, certo, et in genere, determinare vix possumus. Auctorum enim testimonia non semper conueniunt. Perseam arborem in Perside

di plantarum vires, quae a differentia locorum natalium, tam generaliorum quam specialiorum desumuntur, asserit Ill. A. E. BVCHNERVS in Materiae medicae fundamentis, Hal. 1754. edit. p. 200.

p) Optime hinc scripsit MVNDELLA Dialog. p. 90. *Multo plus sane ego laudarem, vt medicamenta e suo natali solo, vbi optima nascuntur, ad nos, si fieri posset, transportarentur, quoniam natale solum et aer multum quidem conferant, vt aliquod simplex medicamentum bonum malumue producatur. Non enim semper stirpes, quae de vna in aliam transportantur regionem, eiusdem sunt naturae, sed contrariae aliquando inueniuntur.*

ſide exitioſam eſſe, in Aegyptum translatam, mutata natura, in cibos receptam aliqui, teſte DIOSCORIDE, q) prodiderunt. Taxum in Arcadia et Italia venenatam, in Anglia autem et Arduenna Belgii ſylua minus pernicioſam eſſe, plurimi pronunciant. Belladonnae radicis puluerem, teſte LOBELIO, extreme ſitientibus agyrtae Italici innoxie exhibere ſolent, et ex eiuſdem plantae baccis comeſtis lethalem effectum in Italia minime obſeruauit Cel. MANETTI, qui et in Coriaria vulgari ſingularem illam, Epilepſiam producendi, efficaciam, a SAVVAGESIO detectam, repetitis experimentis haudquaquam inuenit. r) Non autem haec modo, ſed et alia venena manſuetiora et mitiora reddidit Italia, vt idem quoque de Cicuta, s) quam Athenienſes ſceleratis hominibus propinare ſoliti fuerunt, ſcriptum inueniamus. Napellum etiam virtutem ſuam venenatam non ſemper retinere, ſed in variis regionibus deleteriam vim amittere, a nonnullis affirmatum, ab aliis

 vero

q) L. I. cap. 186. Conf et THEOPHRAST. L. IV. c. 6. et L. V. c. 8. IOH. BAPT. SITONI Miſcell. medico-curioſa Colon. 1676. edit. p. 52.

r) Vid. Viridar. Florentin. p. 20. et LINNAEI Hort. Vpſal. p. 299.

s) Idem affirmat P. A. MATTHIOLVS in Comment. ad Dioſcorid. L. IV. c. 74. IOH. RHODIVS in Emendat. et Notis ad SCRIBONIVM LARGVM C. LXXIX. p. 260, De Cicuta, in Batauis oris proueniente, idem teſtatur BODAEVS A STAPEL in Commentar. ad Theophraſt. p. 1146. b. Vertigines tamen et deliria excitare concedit, et teſte IO. RAIO Hiſtor. plantar. T. III. p. 257. Cicuta terreſtris in Anglia non venenata eſt. Conf. etiam Commerc. Noriberg. 1740. p. 372.

vero et negatum t) deprehendimus. Verum licet haec aſſertum noſtrum dubium relinquant exempla, alia adſunt, quae maiori certitudine adduci poſſunt. Quis enim neſcit Rheum u) apud nos cultum, illi, quod ex China in primis adfertur, virtute multum cedere; cui ignotum, ſimiles Vitis x) palmites, diuerſis regionibus et locis depactos, diuerſa, dulcia, acida, acerba vina prae-

t) Napellum iner eas adducit plantas GLEDITSCHIVS Meth. Botan. p. 23. quae in hortum translatae non miteſcunt, ſed ſuam deleteriam vim retinent. Illam vero in Polonia absque noxa iuſculis incoqui et comedi, legimus in ZORNII Botanol. p. 459. quod vero fabulam olere, putat TH. EM. V. HALLER in Epiſtol. ad Walſtorfium Goetting 1757. edit. p. 17. De venenata huius plantae, in variis regionibus creſcentis, indole immuta Vid. Götting. gelehrte Anzeigen 1759. p. 624. in quibus etiam, ſcilicet Anno 1760. p. 464. aſſeritur Napellum a SAVVAGESIO in Diſſ. de medicina Sinenſi, vt febrifugum commemoratum hauquaquam noſtratem eſſe. Attamen virtutem non venenatam, Napello conceſſam, legimus in IOH. LANGII Epiſtolis Medicinal. edit. Hanou. 1605. 8. p. 303. Act. Hafnienſ. Vol. IV. obſeru. 32. OL. BORRICHII Diſſ. de fundamentali plantar. notitia §. 40. Schwed. Acad. Abhandl. 1. Theil, p. 48.

u) Hinc forte etiam Rhaponticum Dioſcoridis inodorum, cum Arabum Rhabarbaro odorato conuenire, et ratione regionis modo differre, aſſeruit, idemque de Ciſto Ladanum ferente ſtatuit MVNDELLA in Annotat. in Muſ. de ſimpl. edit. c. Eiusd. Epiſt. p. 182.

x) Vinum Canarienſe dulciſſimum a plantis viniferis Rhenanis aeque ac Capenſe et Maderanenſe ab iisdem et Burgundicis, ad calidiora illa loca delatis, ortum duxiſſe, bene aſſerit GLEDITSCHIVS l. c. p. 22.

praebere; et Nicotianam, y) quam Byzantina, Virginiana, Brasiliana, quam Germanica nostra Marchiae, Misniae et s. p. arua ferunt, maxime differre, omnes scimus, eandemque, et fere maiorem diuersitatem in Coffeae seminibus esse, nostro forte cum damno, compertum habemus. Origanum, Hyssopus, Maiorana e Cappadocia aut Creta aduectae, iis, quas Gallia protulit, duplo acriores inueniuntur, teste FERNELIO. z) Cepas et Allia in insulis Archipelagi foetorem et acrimoniam nullam, potius dulcem saporem praebere, SPONIVS a) narrauit. Brassica, secundum DIOSCORIDEM, in Aegypto propter amaritudinem non comeditur. Ari radix, vt GALENVS b) retulit, ad Cyrenam minime medicamentosa et acris reperitur. Poeoniae romanae maiorem virtutem, quam illi, quae ex India in Arabiam adportatur, in Epilepsia curanda tribuit AVICENNA. c) Lupinorum herbam, teste MA-

y) Diuersitatem hanc esse accidentalem, et a regione et loco, in quo colitur, dependere docuit STELLA Lib. de Tabaco c. 3. ALOYS. DALLA FABRA Diss. Med. Ferrariae 1712. 4. edit. p. 137. aliique.

z) Method. Medend. L. VI. c. 4.

a) Vid. Eius Itinerar. L. II. p. 36. qui et caussam in coctionem et maturationem solis ibi, quam in climate nostro, calidioris posuit; et ROSINVS LENTILIVS addit, *vnde cognoscere datur, cur Israelitae tanto ceparum aegyptiarum desiderio flagrarint.* Conf. Iatromnemata Stutgard. 1712. p. 10.

b) De Medicamentor. Facultat. L. XI. Conf. et IO. HORNVNGII Cista medica p. 45.

c) Lib. II. Tract. 2. cap. 562.

RANTA, d) in Hetruria amarissimam, iumenta maxime auersantur, in Campania vero nullam fere habet amaritudinem, et iumentis gratum est pabulum. Serotinus Raphanus feruidissimum saporem habet, temperatiorem et subdulcem Erfortensis, omnemque acredinem vt et dulcedinem cum aquositate insipida commutant varietates Gallico-Belgicae. e) Hungariae solum terrae fertile, ast et fructus, in planitie prouenientes, magis quam alibi aquosos, et gramina ad saginanda pecora parum apta esse, hinc, pastorum effato, lac minus pingue existere, a KRAMERO f) accepimus. Flores alibi inodoros in Alpibus odorem spargere, Trollii, Androsaces, Violae luteae grandiflorae exemplo docuit HALLERVS. g) Draconem herbam, quae, in omni Sibiria inodora reperitur, in sola Isetensi prouincia suauis odoris vidit, et ex seminibus inodorae, in academico horto satis, plantam hortensi Draconi simillimam succreuisse, obseruauit GMELINVS. h) Sibiriae Arnicam Schroederianam, quae foliis lanceo-

d) L. c. L. II. p. 114.

e) Id asserit GLEDITSCHIVS l. c. p. 24.

f) De Climate Hungariae edit. cum Medicin. castrens. Viennae 1739. 8.

g) Med. stud. botan. p. 22.

h) Flor. Siber. T. II. p. 113. Similis fere obseruatio est, quam DALIBARDVS Mem. de Mathematique et de Physique presentes a l'Acad. Roy. des Sciences T. I. edit Paris. p. 95. cum Reseda flore odorato instituit, cum eius semina fictilibus immiserat terra

lanceolatis variat, effectum ſalubriorem, et, quia in rupeſtribus locis ſuccum magis acrem trahit, vehementiorem, ac in infuſo, pauca doſi, data, vomitum excitare Idem i) docuit, qui et a STELLERO accepit, ſpiritum frumenti, additis ibidem creſcentis vulgaris Millefolii floribus, amoenum coeruleum colorem obtinere, et licet ipſe experimentum non viderit, id tamen ſe ſcire ſcripſit, nec oleum ſemper, propter diuerſam ſoli naturam, coeruleo tingi colore. k) Non modo autem internae plantarum virtutes mutantur, dum varias inhabitant regiones, ſed et in vna eademque regione, et ſub eadem caeli conſtitutione conſtitutae, pro varietate ſpecialis loci natalis, variant. Obſeruatum eſt, plantas ſylueſtres, ſatiuas nunc factas, mitiores eſſe, easque illam, quam antea habebant, amaritudinem, deponere,

terra diuerſae indolis, macra, pingui, vel arenoſa repletis. Plantae quae in terra praeparata pinguique collocatae fuerant, fragrantiſſimum exhibuerunt odorem, illae vero, quae in ſabuloſa habitarunt, nullo modo olfactum commouerunt, immo plantulae iuniores, ex ſabuloſa in pinguem terram tranſplantatae, factae non fuerunt odoriferae. Idem experimentum inſtituimus, ſed euentu non eodem ſucceſſit. In omni enim terra plantae enatae fuerunt gratiſſimum odorem ſpirantes; ſunt vero tunc demum odoriferae, quando florent.

i) Flor. Siber. T. II. p. 153.

k) Ibid. p. 200. vbi et ſimile exemplum de Tragoſelino maiori commemoratur, dum, vt dicitur, in Vcrainia, minime vero in Sibiria, inde ſpiritus eliciatur deſtillatione purpureus. Idem forte de Pimpinellae nigrae radice valebit; verum an vbique locorum, an vero in Marchia ſolum, ſpiritum, ſapphirino colore imbutum, praebeat, per experimenta non cognouimus.

nere, et guſtui gratiores fieri, vt de Cichorio, Lactuca, Apio paluſtri, aliisque conſtat; aſt ſylueſtres has maioribus gaudere virtutibus, quam eiusdem ſpeciei hortenſes bene aſſeruit APPERLEY, l) et Fragariae hortenſis fructus ſylueſtribus inferiores, et Aſparagi ſylueſtris radix, m) pro diuretico ſcopo longe quam ſatiua, praeſtantior, egregie oſtendunt. De quadam Scorzonerae ſpecie docuit GMELINVS, n) ſaporem radicis varium eſſe, quo enim aſperiora loca eam producunt, eo dulcior ſapor, et quo mitiora, eo magis amareſcens; et IOH. HILLIVS o) Valerianae, ſpecifici illius antepileptici, radicem pro natali ſolo diſcrepare, eamque, non in paludoſis ſed ſiccis ſyluoſis colligendam eſſe aſſeruit; haec enim vera denſior et reſinoſa, bruno colore imbuta, tenuioribusque fibris compoſita, illa ſpuria vero ſpongioſa, lutea et craſſa eſt radix, huius plantae folia anguſta ſunt et piloſa, illius vero lata et leuia, floresque ſpecioſiores. Sed haec ſufficiant adduxiſſe exempla, alia paſſim in Auctorum libris p) inuenire poſſumus.

§. VI.

---

l) Conf. Commerc. Noriberg. 1734. p. 355.

m) Haec ſylueſtris radix loci natalis indole, pinguibus glutinoſis particulis liberata, praeſtantior eſt, quam ſatiua, vt aſſerit I. A. SCOPOLI in Flora Carniolica, Viennae 1760. edit. p. 239.

n) Flor. Sibiric. T. II. p. 2.

o) Vid. Eius lib. Titulo: Valerian or the virtues of that root in nervous diſorders, and the characters which diſtingviſh the true from the falſe, London 1758. 8.

p) Conf. in primis PORTAE Phytognom. L. II. c. 5. p. 48.

§. VI.

Maxima itaque datur virtus loci natalis in vegetabilia, eademque praecipue in mutata plantarum ſtructura externa aeque ac interna conſpicitur. Quae vero huius rei cauſa? an in terra, quam inhabitant plantae, ratio huius phaenomeni latet? an vero aer, eiusque diuerſae conditiones eius modi influxum habent, vt quadam quaſi ſympathia inde naturam ſuam accipiant vegetabilia? Terrae naſcentia omnia viuere ex terrae humore, et qualem terra humorem in ſe ipſa habet, talem etiam naſcentia ex ipſa habere HIPPOCRATES q) affirmauit. Hinc cum et vegetabilia ex terra pabulum accipiant, pro ſoli natura, cui infixa ſunt varium, eius quoque beneficio ſuam mutationem pati aſſerit GLEDITSCHIVS, r) ideoque, vt Idem docet, s) Cuſcuta varium odorem, et illum adſumit, quem plantae oſtendunt, quibus inhabitauit. Verum

Terra ſalutares herbas, eademque nocentes
Nutrit, et Vrticae proxima ſaepe roſa eſt. t)

Et

interque nitentia culta
Infelix Lolium et ſteriles dominantur Auenae u)

Aqua praeter ea, quae dulcis, certe non acris eſt, plantas producit acerrimas, vt Ranunculi acriores ſpecies, quae

q) De Natura Pueri §. 35.
r) Method. Botan p. 19.
s) Ibid. p. 46.
t) OVIDIVS Remed. Amor. v. 45.
u) VIRGILIVS Georg. I. v. 153.

quae in paludibus nascuntur, clare ostendunt. Cuscuta forte, siue Vrticae, s. Rubiae, s. Lino adnata fuerit, eundem effectum [x]) praestat, prout etiam de Visco [y]) certissime scimus. Ideoque plantarum succi non a mixtione particularum in terra facta dependent; [z]) Sed, prout sanguis animalium non semper sequitur naturam pabuli, quo nutriuntur, [a]) sic neque succus plantarum

x) Ita statuit SCOPOLI Fl. Carniol. p. 309.

y) Viscum quidem, si Robori increfceret, nihil sacratius habebant Druidae, auctore PLINIO. Quernus et Corylinus officinales sunt, verum ideo hae aestimari solent species, quia magis frequentes sunt quam aliae, neutiquam vero ob peculiarem et praestantiorem efficaciam. Cum COLBATCHIO enim eundem Visco, cuicunque etiam arbori adnatus esset, vsum tribuimus. Licet DIETR. WESS. LINDENIVS in additis notis propterea, quia ex variis arboribus succum trahit, mixtionem et virtutem variam eidem tribuerit. vid. Eius Anmerckungen von der Kraft der Mispel rc. Amsterdam 1746. 8.

z) Conf. LVDWIGIVS in Institut. Regni Vegetabil. §. 357. p. 177. edit. Lipf. 1757. 8.

a) Quae res in genere omnino assumi debet, et bene a Cel. SCOPOLI Fl. Carniol. p. 309. affirmatur; et LAMB. BIDLOO scribit: Equisetum pratense si Frisicae comedant vaccae, vt ab assumto veneno, marcescunt et lenta pereunt morte; indigenae (Belgiae) autem inde optime se habent. vid. Eius dissertat. de re herbaria praefixa I. COMMELNI Catal. Plantar. Hollandiae, Amstel. 1683. ed. p. 13. Attamen suo modo quoque limitanda. Ex multis satisque cognitis vnicum commemorems exemplum. Oues, a capris nutritas, duriores, et capras ouium lac sugentes, molliores pelles obtinere, scimus; Vt hinc per nutrimentum diuersa corporea indoles mutetur. Conf. CAR. GIANELLA

tarum idem erit ac terrae, *b*) sed propria canalium, et in primis contextus cellulosi fabrica nouam accepti humoris praeparationem, mutationemque efficit, idque colores, sapores, et odores diuersi, in variis eiusdem plantae partibus conspicui, euidenter declarant. Terra itaque nutrimentum, idque vel parcius, vel copiosius, nunc magis, nunc minus praeparatum plantis exhibet, earumque radices, nunc in sabuloso, nunc in lutoso alioque solo melius dispositae, idem facilius attrahunt et suscipiunt, externae vero regionum locique natalis conditiones idem mutant, plantaeque faciem, ac internam virtutem aliam producunt. Et hae externae vires omnes in Aere *c*) quasi concentratae inueniuntur.

NELLA Trat. di Medicina preseruatiua etc. in Verona 1751. 4. p. 43.

b) Quae horti cultores de varia terrae praeparatae conditione in plantis sese manifestante narrant, plerumque fabulae sunt, et experientiae non respondent. Ita, vt legimus, Mala punica acida, radicibus arboris suillo fimo obrutis, dulcescunt, sed falsa est res.

c) Hinc aeris inaequalitatem maxime considerandam esse iam docuit THEOPHRASTVS L. III. de causis plantarum addiditque *quibusdam imbres conueniunt, quibusdam repugnant, ita et flatus et frigora, et calor*; et MANETTI l. c. p. 77. bene scripsit, *aeris qualitates ad plantarum vegetationem promouendam maxime necessarias esse, vt licet terrae diuersitas auxilium valde proficuum pro plantarum cultura sit, tamen vnico hoc iuuamine munitae, plurimas alias vegetantis vitae necessitudines implere, et incolumes ferre, haud quaquam poterunt.* Et dum Cel. MEAD in causas inquirit, cur animalia non vbique eodem gradu

tur. Caloris enim, frigorisque, ſiccitatis et humiditatis, grauitatis et raritatis, elaſticitatis denique, immo et lucis et vmbrae d) conditio et gradus, plantas quoad habitum et internam ſtructuram mutabunt euidentiſſime. Inde enim non modo humores in terra contenti afficiuntur, e) et prout terra ad ſuſcipiendum fouendumque calorem f) diuerſimode comparata exiſtit, ſubti-

---

gradu venenata ſint, ad conſtitutionem aeris particularem praecipue reſpexit, monens: Tarantulae morſum aeſtiuis caloribus in primis periculoſum eſſe, et feruorem climatis multum ad veneni efficaciam conferre.

d) Lucem ad vegetationem plantarum multum conferre, et non modo colorem, ſed et externam faciem alienam nouamque reddere, Cel. BONNETI experimentis compertum habemus. Vid. Schwed. Acad. Abhandl. 18. Band. p. 141. Hamb. Magazin 14. Band. p. 18. et 20.

e) VITRVVII auctoritate hoc aſſertum corrobare licebit. Sic enim ille: *Quod ſi terra generibus humorum non eſſet diſſimilis et diſparata, non tantum in Siria et Arabia in herbis eſſent odores, neque arbores thuriferae etc. Sed in omnibus terrae regionibus et locis eodem genere omnia procrearentur. Has autem varietates regionibus et locis inclinatio mundi et ſolis impetus, propius aut longius curſum faciendo, tales efficit terrae humores, quae qualitates non ſolum in his rebus, ſed etiam in pecoribus et armentis diſcernuntur*, de Architect. L. VIII.

f) Supra commemoratus WARGENTINIVS, dum in climatum differentias et cauſas inquiſiuit, etiam ad variam terrae qualitatem reſpexit, experientia enim edoctus cognouit, non omnia corpora et aequalem caloris gradum ſuſcipere, et aeque diu retinere poſſe. Vid. l. c. p. 169.



ſubtiliſantur, ſed et praecipue ob auctam in plantis, ſoli expoſitis, in vmbra collocatis imminutam perſpirationem g) et quoad copiam, et quoad motum progreſſiuum aeque ac inteſtinum, immo quoad qualitatem mutantur, vt inde incrementum et vegetatio plantae vel bene ſuccedat, partes in externo habitu optime ſeſe exhibeant, ſuccique naturalem craſin obtineant, vel langueant, a naturali ſtatu recedant, mutentur, immo moriantur. Ideoque dum in virtutem loci natalis inquirimus, aërem, coelum, et ſi quae alia ſunt vnius eiusdemque regionis mutuo inter ſe conſpirare, et diuerſas ita cauſas vnum effectum producere aſſumimus.

Verum planta res eſt varia, et multiplex, inque vniuerſum de ea aliquid certi pronuntiare, valde periculoſum. h)

---

g) De hac perſpirationis differentia ſingulari ſtudio, egregiisque experimentis omnium optime egit GVETTARDVS in Mem. de l'Acad. Roy. des ſciences an. 1748. edit. Pariſ. p. 574. Huc pertinet illa a GLEDITSCHIO Meth. Botanic. p. 25. propoſita quaeſtio: *an plantae potiores in Septentrionalibus terris acris vel ingrati odoris et ſaporis, liberioris circulationis et tranſpirationis ope ſub Zona temperatiore magis depuratae gratae et oleoſae euadunt? an potius plantae calidioris climatis incolae ſuauis et aromatici odoris vel ſaporis in acres nauſeoſus ingratasque degenerare poſſunt?*

h) Bene id monuit MARANTA l. c. pag. 8.

ANNEXA.

I. Solidum in nobis conuertitur in fluidum et fluidum in solidum.

II. Venae sectio et debilitat et roborat.

III. Aer et destructor rerum est et conseruator.

IV. Prout aer succos vegetabilium mutat, ita digestionem ac sanguificationem in animalibus adiuuat.

V. Potulentorum abusus humores non fluidiores reddit sed spissiores.

VI. Variolarum Insitio et vtilis est et licita.

VII. Fige oscula, sed cui figas, vide.

VIII. An Chylo, qui ad sanguinem fertur, bilis admisceatur, problema esto.



ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

RECTOR

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

H. T.

EX - DECANVS

GEORG. RVDOLPH. BOEHMER

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOTAN.

PROF. PVBL. ORDIN.

PANEGYRIN MEDICAM


AD DIEM V. MENS. NOV. MDCCLXI.


HABENDAM INDICIT

ET

DE SERENDIS VEGETABILIVM SEMINIBVS

MONITA CONTINVAT.





Quae de ſelectu et praeparatione ſeminum obſeruari debent monita, nuper recenſuimus, hinc de tempore nunc, quo ſerenda ſunt ſemina, tractationem noſtram continuemus.

Multum ad felicem germinationem tempus conferre, omnes vno ore confitentur hortorum cultores; illud autem in vniuerſum determinare haudquaquam poſſumus, et qui de horticultura nobis praecepta tradidere, neutiquam inter ſe conueniunt, et inprimis, vt videtur, pro diuerſitate regionum, quas incolebant, regulas ſuas tradiderunt, quae vero nec in noſtra terra, nec omnibus vegetabilibus applicandae erunt. Nec illa, adeo celebrata, de Lunari influxu in vegetabilia, doctrina conſenſum promereri potuit, et licet veteres hanc decretoriam quaſi plantationis rationem magni aeſtimauerint, tamen non ſemper idem, diuerſum potius ſeminandi tempus laudarunt, ac hoc ipſo diſſenſu hypotheſin ſuam nosque ipſos dubios reliquerunt, ita, vt neſciamus, an potius cum HESIODO octauam diem a Luna felicem ad plantarum poſitionem, an cum DIOPHANE Luna creſcente ſemper, nil illa decreſcente, an cum PLINIO, interlunio, vel circa interlunium quatriduo ſerendum eſſe credamus. Noſtra certe hactenus cum hortenſium plantarum, vt Cheiranthi, Tunicae, Aſteris ſeminibus inſtituta experimenta, Lunae virtutem in vegetabilia vel plane nullam, vel admodum exiguam eſſe,

 ſemper

ſemper declararunt, et ſemina, pleniluni o ſata, flores haud ſpecioſos, nec multiplicatos plenosque, alio vero tempore terrae commiſſa egregia hortorum ornamenta exhibuerunt. Aſt licet haec ita ſe habeant, tamen non negandum, multum in tempore ſationis eſſe poſitum. Et quidem ideo, quo felicem prouentum ſeminumque maturitatem obtineamus. Ad vtrumque obtinendum finem horticultores et Botanici vernale inprimis eligunt tempus, quo et calore artificiali et ſolis radiis nunc paullo efficacioribus terram ad excludenda ſemina magis aptam redderent, ſpatiumque ſufficiens acciperent, quo planta ad autumnum vsque creſcere, et in annuis ſemina maturitatem; in perennibus vero, et arboribus inprimis, radices, caulesque iuſtum robur obtinere queant. Verum enim vero reliqua etiam tempora negligenda non ſunt. Dantur enim et nonnullae plantae, quarum ſemina frigidam potius amant terram, et vel ſub niue progerminant, vel per hybernum tempus terra incluſa et emollita primo tandem vere vegetant atque excreſcunt. De Primulis, et Auriculis praecipue, res notiſſima eſt, pluresque poſſemus nominare exoticas plantas, quae ſua ſpargunt autumno ſemina, et primo vere praecoces exſurgunt, vt ſunt Ceraſtium connatum, Ballote Coronopi fol. Luteola, Staphyſagria, Lathyrus odoratus, Acriuiola, Scabioſa ouina, Delphinium, aliae etiam, quae vernali tempore, omni adhibita cura, ſata, nunquam, vel raro admodum, autumno vero terrae tradita feliciſſime progerminarunt, vt de Tribulo terreſtri et Perſicaria Nicotianae folio ſaepiſſime experti fuimus. Tribuli enim ſemina per decennium et quod excurrit Martio vel Aprili menſe ſata, vnica modo vice excreuere, aſt cum demum Iunio propullularent teneriores plantulae, flores quidem, nullos vero perfectos fructus tulerunt; ſemper vero ex illis, autumno ſponte ſparſis, ſeminibus Aprili menſe nouas plantas, fructusque copioſiſſimos accepimus. Et Perſicariam nunquam nunc ſerimus, ſed ex ſeminibus, autumno decidentibus, nouas expectamus plantas, nec ſpes vnquam fefellit. Haec autumnalis, vel ad finem aeſtatis inſtituta, ſatio inprimis quoque magnam praeſtat vtilitatem in illis plantis, quae in noſtris hortis ſemina raro ad maturitatem perducere

ſolent.

ſolent. Hinc iam nonnulli, Botanici inprimis, ex annuis biennes facere, primoque anno flores retardare ac ſupprimere quaſi voluerunt, et cum quibusdam, vt Molucca ſpinoſa, res bene ſucceſſit; ſi enim vernali iam tempore eiusmodi plantarum propullulant ſemina, plantae per aeſtatem nimium excreſcunt, et, vel nobis etiam non volentibus, flores producunt, vel per hyemem facile marceſcunt; ſi vero tardius ſeruntur ſemina, ante hyemem certo progerminabunt, et incrementum mediocre obtinebunt, inque eodem ſtatu per hyemem in hybernaculis facile conſeruantur, ac vernali tempore noua incrementa capiunt, florent et fructificant. Illarum itaque plantarum, quae annuae ſunt, et rariſſime in noſtris hortis fructus perfectos ferunt, vt eſt Ketmia ſpinoſa, Fagonia, et ſ. p. ſeriorem hanc ſationem vtilem atque proficuam eſſe, experientia edocti, affirmamus. Praeterea etiam eiusmodi dantur ſemina, quae propter inuolucri ſui duritiem non facile emolliuntur, ſed diu potius in terra quieſcunt, et ſero tandem propullulant. Et cum his eadem quoque inſtituamus experimenta, arborumque noſtratium ſpontaneus exortus felicem promittit euentum.

Tandem et modus, quo ſemina terrae committuntur, attendendus erit. Ad duo vero hac in re inprimis reſpiciendum eſſe, putamus, partim ſcilicet ad ipſam terrae, cui ſemina committimus, qualitatem, partim ad quantitatem terrae, qua ſemina tegimus et quaſi inuoluimus. Praeparationem terrae variam, eiusque diuerſam meliorationem nunc recenſere, et de ſingulis illis modis ſeorſim dicere, noſtra non fert inſtituti ratio. Id modo monemus, optime praeparatam, recentique fimo calefactam terram non ſemper optimam eſſe. Fallimur hac in re quotidie, et cauſam ſaepe, cur exoticarum plantarum ſemina, fimetis indita, non progerminent, in bonitate nimioque calore terrae quaerendam eſſe, exiſtimamus. Licet enim calor ille, et per feneſtras externe, et per ſubſtratum fimum interne excitatus, quandoque excluſionem plantulae ſeminalis iuuet, quandoque tamen eadem vel terra adhuc incluſa, vel etiam iam e terra egreſſa inde comburitur, conſumiturque. De Cheiranto, Leucoium dicto, eiusque

annua inprimis ſpecie id ſaepe cum damno experti fuimus, illamque methodum, a Cel. GROTIANO *in den Sommerbeluſtigungen* p. 77. propoſitam, vt minus artificioſam, ita et magis conuenientem, omnibus imitandam commendamus. Maiorem fere adhuc noxam experimur, dum terram, recenti fimo, et animalium lotio impraegnatam, pro ſerendis ſeminibus eligere ſolemus; Acris enim et cauſtica inde redditur terra, ſphaceloque quaſi corrumpuntur inde tenellae enatae plantulae. Nolumus vero ſic dictis caldariis et fimetis omnem vtilitatem denegare, abſit vt ita ſtatuamus, limitandam modo eandem eſſe, idque adminiculum pro vniuerſali minime aſſumi debere, putamus. Immo ad euitandam maximam illam plantarum luem, pulices terreſtres ſcilicet, ſaepe inſeruire fimeta, experientia docuit, et in arborum noſtratum quoque educatione maximum commodum praeſtare, certiſſime ſumus perſuaſi. Poſſumus enim Quercus, Alni, et aliarum arborum ſemina fimetis tradere, et cum ibidem bene citoque progerminent, primoque anno altius excreſcant, vel hoc, vel ſequenti anno tranſplantare, et inde feliciorem earundem vegetationem, celeriusque incrementum expectare. Hanc methodum his inprimis temporibus, vbi ligna magis magisque deficiunt, omnibus, qui ſibi et aliis bene conſulere cupiunt, maxime commendamus, eosque monemus, velint ab hactenus vſitato ſyluestres ſerendi arbores more ſenſim recedere, et in alieno loco enatas plantulas in alia, ſyluis exſtruendis apta, transferre, et celerius certiusque incrementum ipſis conciliare.

Poſt ſationem cooperienda ſunt ſemina; et hac in re certum inuenire modum difficilis, aſt magni momenti res erit. Multa ſi obruuntur terra ſemina, germinare quidem ea incipiunt, ſed onere incumbente preſſa foras exire, cotyledonesque et plumulam attollere neutiquam valent, potius abſcondita putreſcunt et conſumuntur. Si autem leuius terrae ſtratum imponimus, illud facile vento, vel affuſa aqua remouetur, ſemina denudantur, et iuſtum emollitionis gradum haud attingunt; vel ſi etiam leuiori hoc tegmine incluſa manent, tamen externis iniuriis, calore inprimis ſolis, vel aſperiori aura in vegetatio-

getatione turbantur, impediunturque. Haec autem licet ita vera ſint, tamen nonnulla ſemina, inprimis quae maiora et denſiora ſunt, profundiorem, quae vero exigua, leuiora, et inprimis papposa exiſtunt, minus altam, immo ſaepe nudam ſationem poſtulant. Inter haec vero duo extrema multi intercedunt gradus. Et quicunque pro diuerſa ſeminis conſtitutione hosce inuenire, et determinare poteſt, felicem meſſem certiſſime obtinebit. Cauſam quoque hac in re inuenimus, cur ſemina ſponte ſata felicius excreſcant, illis, quae noſtra opera ſparſa fuerunt. Haec cauſa erit, cur Perſicaria, Tribulus, Ceraſtium connatum et ſ. p. noſtram ſationem recuſant, ſibi ipſis vero commiſſa earundem ſemina nunquam non vberrime vegetent. Natura ita et hac in re monſtrat nobis viam, eademque non admirari modo, ſed imitari debet; hinc horticultores quoque non generalibus regulis tantum inhaereant, et ſpeciales negligant, ſed quantum fieri poteſt, ſpecialem culturam omnium plantarum per experimenta diſcant. Nolumus vero hanc rem vlterius proſequi, et ſingularem ſeminum culturam, quantum per obſeruationes repetitas cognouimus, in praeſenti exponere; Potius hic ſubſiſtimus, et ad commendationem Cl. Candidati progredimur.

Eſt ille
Nobiliſſimus ac Clariſſimus
DN. GOTTLOB FRIDERICVS DOERINGIVS
Reichenbachio Variſcus
Medicinae Candidatus Digniſſimus.

Natus eſt noſter Reichenbachii anno trigeſimo ſecundo huius ſeculi die XV. menſ. Auguſti, Patre THEOPHILO DOERINGIO, Medicinae Doctore, et Phyſico apud Variſcos Celeberrimo, ac Matre CLARA MARIA ex honeſta ſtirpe Ackermannia. Sub pia educatione et paterna cura Parentum tranſactis infantiae annis, in patria praeceptores obtinuit fideliſſimos, quos inter praecipue laudat M. GRIMMIVM, Rectorem patriae Scholae meritiſſimum. Tum naturali autem mentis propen-

propenſione, tum exemplo optimi Patris permotus, ad medendi artem mature ſe applicuit, et in paterna officina Pharmaceutices artis optima et prima poſuit principia, quae poſtea in illo, quod Gothae primarium ſatisque celebre eſt, laboratorio magis perfecit et illuſtrauit. Patris dein nutu et voluntate ad patriam vrbem anno quinquageſimo ſecundo rediit, et eodem Doctore Pharmaciam partim vlterius tractauit, partim vero, et inprimis medicinae operam dedit, et omnes fere huius ſcientiae partes ex paterna inſtitutione accepit. Adiit poſtea an. ſcil. quinquageſimo ſexto Wittebergenſes Muſas, et priuatiſſimas Scholas Excell. LANGGVTHII ſedulo frequentauit, cui etiam optimo Praeceptori et Patrono pro collatis in ſe beneficiis publicas perſoluit gratias. Profectuum ſuorum iam eo tempore Ordini noſtro ſpecimen exhibuit, et in Examine, quod pro Praxi dicitur, bene ſtetit. Quo ſuperato iterum ad natalem locum tranſiit, praxin medicam ſub paterna manuductione exercitaturus. Cum itaque maturatis profectibus in animum induxerit, capeſſere honores promeritos, ad nos rediit, alterumque examen cum laude ſuſtinuit.

Dignus itaque inuentus eſt, cui aditus ad ſummos in arte noſtra honores acquirendos aperiretur. Sub meo igitur Praeſidio d. V. Menſ. Nou. Diſſertationem *de virtute loci natalis in Vegetabilia* publice defendet. Vos autem, PROCERES ACADEMIAE GRAVISSIMI, PATRONI, ET FAVTORES, GENEROSIQVE ET NOBILISSIMI LITTERARVM STVDIOSI, vt Panegyri frequenter adeſſe, et noſtris laboribus fauere velitis, quanto ſtudio et debemus et poſſumus, officioſiſſime rogamus.

VVITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.